

IN C. IVLII
CAESARIS CLARIS

SIMI ROM. IMPERATORIS

*Commentarios de bello Gallico ac Ciuili, Hen-
rici Glareani Poëtae Laureati Anno
tationes,*

NVNC AB AVTORE DILIGEN-
ter reuise, & aucta.

Cum Reg. Mag. Priuilegio
ad annos sex.

Friburgi Brisgoiæ

*Stephanus Melechus Grauius excu-
debat An. M. D. XLIIII.*

Aquitanicam, Belgicā, ac Celticam, quæ haud dubie fuit antiqua Galliae diuisio. Nam posteriores omnes Geographi quatuor eius fecerunt regiones, Narbonēsem, Aquitanicam, Lugdunensē et Belgicam. Strabo lib. III. ait Celticam Augustum diuisisse in Lugdunensē et Narbonensē, adiectis ad Aquitaniam populis, qui inter Garumnā et Ligerim antea Celtarū erant, Quod Ptolemæus, Plinius, Pom. Mela, ac alij imitati sunt. Non igitur cum Ptolemæo pugnat Cæsar, sed temporum ratio utrinq; habita est. Celtæ nominati sunt ab authoritate Ἰσὲ τῆς ἐπιφάνειαν inquit Strabo lib. III. Ipsorum lingua Gelter, quòd multum ualebant. Gelten enim est ualere: unde et Gelt apud eos pecunia dicitur. Græci re etius per γ Galatas scripserunt, quàm Romani per κ. Κέλταις. Porro Galli nomina populorum frequenter inter terminant, ut etiamnum Heluetij in usu habent. Gelter, Belger, Heluetter, Helhütter, Rauchagger, Suncouwer, Tribücher, Vanner, Vāner, Treuer. Porro Celtarū nomen tam late patebat, ut non modo Galliam omnem, sed uniuersum occidentem occupasse affirmet Strabo, à quibus Celtiberi Hispani et Galatæ populi ad pontum Euxinum, ad quos Diuus Paulus scripsit, originem referunt. Et hodie Portus Galli.

Hi omnes lingua, institutis.

Lingua Gallorum multis de causis creditur ea esse, qua hodie Rhenus utitur, maximeq; Heluetij, et Sequanici Rhenani. primum enim constat C. Cæsarem bello Gallico per interpretem locutum cum Gallis. Deinde eā qui-
Erasmii ratio.

B dem

dem linguam, qua hodie Francia utitur, Romanam esse, quanquam corruptam nemini est dubium, Quippe adhuc de prisca lingua Gallica innumeras retinentem dictiones. Non igitur Francica lingua olim Galli locuti **Budæi** sunt, sed alia. Verisimilimum autem est ea locutos lingua, ratio. qua adhuc ij Galli utuntur, qui Francice non loquuntur, ut omnes populi citra Rhenum, proximitamen Rheno, Heluetij, Rauraci, Sequani, Elsatice, Tribocchi, Vangiones, & ferè tota Belgica. Nec mirum hoc uideri potest ei, qui considerat populum R. suos exercitus frequenter in Gallia habuisse, atq; adeo in Galliæ foecundiore parte, diutiusq; pressam, quam nunc Franci inhabitant Galliæ partem, seruitute Romanorum. Rhenus quippe & Germania citius à Romanis quàm Gallia alia defece- runt. Ideoq; factum est, ut Romani non potuerint suam in Germania ac regionibus Rheni ita celebrem facere, ac uelut propagare linguam, ut in reliqua Gallia, Hispania, & Italia fecerunt. Neq; nihil ad rem facit, quod Prætores Romani ius non dabant, nisi sua lingua, & miles Romanus ægre cum plebe, alia quàm sua lingua, loquebatur. Itaq; coacta est misera plebs Romanam discere linguam, sed male, sed mutilate, sed ita, ut in ea ubique priscae linguae uestigia inuenias, Latinae uero sonum in thematis audias, imò priscae accentus aliquot, uoculationem, pronuntiationem, præteritorum perfectorum per habui periphraasis: articulos item quos latina lingua non habet. Deniq; plurima nominum themata, qualia sunt ignis, puluinar, arma, ciuis, lorica, galea, gladius, sepes

Sepes, tunica, accipiter, peluis, pastillus, scamnum, Cancer, Caper, Campana, Mamilla, Vexillum, Calcar, Diues, Thorax, Manipulus. Et uerborum, ut dimitto, frico, occido, careo, lacero. Sed planè ineptus uidear, si ea omnia persequi uelim quæ iustum requirerent uolumen. Cum ante annos aliquot Lutetiæ degerem, erat in sodalitia nostro Iaspar Alphæus Syluanus, egregij iudicij ac eruditionis non proletariæ uir, qui in chartula propemodum ducenta uocabula ab se notata mihi mōstrabat, priscae nostræ linguæ, quæ Parisienses etiãnum hodie in mutila ista lingua haberent. Vnde satis liquet Heluetiorum linguam ac Rheni uere gallicam, nisi quantum Germani quædam miscuerunt, maxime infra Argentinam. Spiræ enim, Vormatiæ, Moguntia, ac in circumiacentibus ea Rheni parte populis mixtus est sermo ex Germanica ac Celtica linguis. neque enim pure Germanice, neq; pure Celtice loquuntur. Heluetij autem, Rauraci, Sequani Rheno proximi, Brisgoenses, ac Elsatici magna ex parte mere Celtice loquuntur. Non mirum igitur quod scriptum reliquerit diuus Hieronymus, Galatas, ad quos scripsit diuus Paulus, quiq; à Celtis descenderunt, ut author est Liuius lib. VIII. quartæ Decados, eadem locutos suo tempore lingua, qua Treuiri utebantur. Quis autem nescit Treuirorum linguam antiquam esse, nec multo à Germanorum lingua diuersam? Et si concedi oportet, quod Strabo ait libro VII. Germaniæ uocabulum Romanorum esse, quam aliam causam fuisse credimus Romanis, quòd eos Germanos

20 ANNOT. HEN. GLAR. IN
appellarint, quàm quòd uel lingua & moribus magnam
cum Gallis haberent communionem? Vel, quòd quidam
non absurde argumentantur, ab ipsa inter ipsos appella-
tione? fratres enim sese etiamnum hac tēpestate in rebus
serijs ac bellis uocant. Id Romani siue per se de Germanis
resciuerint. siue à Gallis didicerint, parum constat, neq;
huius est negocij. Nos enim hic de Gallorum linguis tra-
ctamus, inter quas, ut Cæsar ait, differentia aliqua fuit,
ut etiamnū hodie est. Celtæ enim perpetuo habent s, ubi
Belgæ t. ut *wasser watter. Groß Grott. daß dat.* De Aequi-
tanorum lingua, ut Celticæ & Belgicæ uel conueniat uel
discrepet nihil nobis constat. Existimamus autem eam to-
tam sublatam, cum multæ nationes adhuc Celticam ha-
beant, multæ Belgicam, Celticam, ut diximus, Heluetij et
proximi sub eis ad Rhenum populi. Belgicam ipsi Belgæ
qua Rhenum contingunt & Oceanum Germanicum,
Quicquid sub Agrippina Colonia, Cluēses, Geldrenses,
Brabanti, Flandri, Iuliacenses, Hollandi, Selandi & in
Germania Westphali & Saxones aliqua parte. Nihil ta-
men impedit quin communi appellatione eadem ac una
nominetur. Quanquam non usquequaq; eadem, sed pau-
lulum uariata, Id quod in græca lingua quoque accidit.
Porro id non est paruum argumentum Heluetiorum lin-
guam uere esse Gallicam, Quòd latini authores multa
gallicæ linguæ uocabula recēsent, quæ etiamnum in Hel-
uetiorum sunt lingua, quanquam à Romanis scriptori-
bus partim male scripta, partim male percepta, utpote
quæ, quod barbara non magnopere curarent, ac obiter
dur

duntaxat in operibus recenserent. Quæ tamen ipsa nobis argumēto sunt, gallicam linguam in aliqua apud eos fuisse existimatione. Itaq; Cæsar Gallorum propria, & maxime Heluetiorum nomina mire torsit, omiſſis sæpe ac mutatis literis aliquot, ut latinæ declinationi apta fierent, de quibus paulo post dicturi sumus. Idem Plinius fecit qui Gallus fuit ex ipsa adeo Gallia Cisalpina ut Romani loquuntur. natus, quem nostram scisse linguam non est dubium, ac eam magni fecisse, quippe qui in tam nobile de natura opus toties inserere uoluerit. Ea tamen uerba temporū iniuria adhuc magis deprauata apud eū leguntur, nemine de ea lingua ab mille annis curante. Ita lib. 18. cap. 18. Aratra rotulis instructa, gallicum inuentum Pflū grat recte nominauit, Vbi tamen codices Plummarat, alij Planarat habent. Quidam in Planetas, ut se prorsus ineptos ostenderent, mutarunt. Apud eundem lib. III. cap. XVI. Bodincum Padum gallica lingua à Liguribus dictum ait, quod significet fundo carentem. & Bodinco magum oppidum eodem tractu esse. Heluetiorum lingua uocat Bodenmangel. Padum item à Picea arbore, quam Galli ita uocent, nominatum, Pâch uult dicere, quod adhuc manet in nostra lingua. Ita apud Suetonium in Galba præpinguis gallice Galb intelligitur, sed uitulus potius. Nam ita præpinguem ac obesum hominem per iocum uitulum uocamus. Et Beco Rostrum apud eundem in Vitellio adhuc habet Belgæ nostra ætate in sua lingua. Heluetij uerbum inde Becken, id est, rostro ferire. Multa his similia enumerat D. Aegidius Tschudus V. C. apud

22 ANNOT. HEN. GLAR. IN
Heluetios, mihi nō affinitate tantum iunctus, sed eodem
etiam studiorum amore in lib. de Rhætiae antiquitate, et
tractu Alpinarum gentium. Vbi Strabonis, Plinij, Liuij,
aliorumq; classicorū scriptorū locos plurimos dignissi-
me tractat. quem in his annotationibus saepe in testimo-
niū adducemus, neq; id immerito: uisa enim tractat, &
summo iudicio librata, maximoq; labore inuenta, quæ
ab mille annis neminē tractasse nouimus. Accedit huc,
quod Plinius ait Gallos medullā Margā uocare, & Ger-
manos anserem Ganzam, quæ duo uocabula adhuc ma-
nent in utraq; lingua. Francorū autē hodierna lingua ex
duabus linguis est, ex prisca Celtica & Romana. In qua
Romana tamen, quod ad themata attinet, dominatur.

Gallia est omnis diuisa in parteis treis.

In hoc primo lib. tria peragit Cæsar. Primo Galliæ
transalpinae descriptionem ponit. Secundo Helueticum
bellum profequitur. Tertio Germanicū aduersus Ario-
uistum Germanorum regem.

Propterea, quod à cultu atq; human. etc.

Festus ait prouincias dictas, quod Populus R. eas pro-
uicerit, id est, ante uicerit. Alij à Porro uincendo dictas
uolunt. Cæterum ex regno fit prouincia, cū è regia ma-
nu in potestatem alicuius populi deuenit. Verum hoc lo-
co ea est Narbonensis Galliæ portio, quæ mari Ligusti-
co, Alpibus, & magna ex parte Rhodano concluditur.

Quæ ad effoeminandos animos
pertinent &c.

Merces intelligit, & rerum omnium, quæ ad luxum
faciunt